

COMPOSITIONES XXIIII–XXX

lere oculum, proptosin vocant, cum ovi albo, quod est tenuer. sed prae-
cipue facit, cum quasi sanguine suffusi sunt oculi et ob id nullum nisi
lenissimum collyrium patiuntur. recipit autem haec: croci X p. III,
cadmiae X p. III, stibis X p. III, opii X p. II, commis X p. II, amyli
5 recentis et dulcissimi X p. III. eodem ordine, quo scripta sunt, in mor-
tario debent teri ex aqua pluviali; amyrum autem, cum iam fingendum
erit collyrium, adicietur. interdum et hoc superinungantur qui prius Athe-
nippio curati sunt. his fere collyriis lenibus omnia, quae cum tumore et
dolore fiunt circa oculos, remediamus.

10

Collyria acria

XXVIII. Acerioribus autem his: ad cicatrices extenuandas et palpebras
asperas, quod, quia ex quattuor rebus ut quadriga equis constat et celeres
effectus habet, harma dicitur; recipit autem haec: aeris usti X p. III,
thuris arboris corticis X p. III, ammoniaci guttae X p. III, commis X
15 p. III; teruntur ex aqua pluviali.

XXIX. Hoc etiam superunctum ad puerorum epiphoras et qui non
sufferunt inunctionem facit, ut huiusmodi medicamenta, quae perichrista
vocant: croci Siculi pondo uncia, commis pondo uncia; haec aqua terun-
tur, fiunt collyria.

20 XXX. Est et hoc medicamentum satis efficax, quo ita oportet palpebras
perungere, ne quid intra oculum fluat. recipit autem haec: croci Siculi X
p. III, magiae croci X p. XII, thuris X p. III, aluminis rotundi X p. VI,
opii X p. I, myrrae X p. II, commis X p. III. vino Falerno teruntur;
cum levia facta sunt et crassitudinem habent mellis spissi, adicitur passi
25 Cretici pondo sextans; reponitur pyxide stagnea; si passum adiectum
non erit, collyrium <non> erit.